400

# CONNUBIUM MEDENDI & REGENDI, IN CONNUBIO,

VIRI

*MAGNIFICI, AMPLISSIMI ET EXPERIENTISSIMI,*

DOMINI

# SIMONIS WEISSII

*MEDICI EXCELLENTISSIMI*

*CONSULIS IN PATRIA MERITISSIMI*

ac p. t.

S. R. M. BURGGABII GRAVISSIMI

CUM

VIRGINE

*NOBILISSIMA, PIETATE ET OMNI VIRTUTUM GENERE FLORENTISSIMA*

# CONSTANTIA NAT: TESMERIA

DIE XX NOV. A. cIↄ Iↄ CCXXV.

NUTU COELESTI
FELICITER INITO,
BREVITER DESCRIPTUM,
QUO VOTI SUMMAM ET OBSERVANTIAM
FAUTORI AMICO ET AFFINI
PIE AC REVERENTER
TESTARI VOLUIT

PETRUS IAENICHIUS

THORUNII
Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus

Xol. XVII, 375

CUm Rcspublicae & regna nihil aliud esse videantur, quam vasta & ingentia corpora, ex variorum hominum consortio & conciliatione composita, perinde illa miris vicissitudinibus obnoxia esse, concuti, labefactari & convelli, interdum etiam collapsa restitui pristino vigori, & ab ruina sua velut a morte revocari ad incolumitatem animadvertimus, atque in corporibus humanis hanc frequentem casuum varietatem intuemur. Et uti haec aliquando lenta conficiuntur tabe, interdum quoque repentina pestilentiae vi afflata concidunt, eodem modo agitari subinde respublicas similiq; casuum metu colluctari experientia testatur. Sic stare saepius alias & integra florere fortuna, sanoque corpori similes valere perbelle videmus, alias iterum quasi langvida apparere corpora, macie torrida & contabescentia, exhausto miseriis sangvine calamitosa, & extremo tentatae valetudinis periculo exposita haud longe ab interitu suo distare. Id quod autem aegro & minus valenti praestat corpori peritus medendi artifex, hoc afflictis & periclitantis reipublicae rebus is, qui gubernandae eidem praeest. Vtrique opus est consilio salutari, remediis & adminiculis mature & sapienter afferendis. Exercet morborum vis ac miseria corporis medicorum industriam, prudentes civitatis rectores fatigant animi, vitiorum labe corrupti, aestuque libidinum & contagione vitiati, a quibus non minor pernicies civitati ac corpori a pestilentissimo morbo solet imminere. Omnis in eo, uti putamus, medendi ars versatur, ut valetudini bene sit, & integra conservetur, vel si afflicta, restauretur: idem in societatis compage opus, ne quid detrimenti capiat, aut ubi iam adsit, omni cura amoveatur. Corpori humano prodest, ut integris gaudeat membris, robustis & valentibus, tum &, ut liquidae partes iusto tempore omnes fluant, sine defectu & sine perniciosa abundantia decurrant semper, iuxta illud Hippocratis. a) Concors concordi adhaeret, discordia rebellant. Hac ingeniosa comparatione facta populo persvasit concordiam ille olim facundus Romanus, eumque alienatum & egressum urbe restituit obsequio, declarata prudenter causa, haud aliter servari integritatem societatis, quam conspirantibus, uti in corpore, bene inter se membris suoque officio recte perfunctis. Quem etiam usum febres & alia naturae molimina secernendo & excernendo praestant, simile quid non raro, obortis in civitate commotionibus

a) Lib. de Diaeta

onibus, ex divino consilio profuisse compertum est. Saepius cum visa in summum venire periculum, derepente vel sanatis partibus aegris, vel resectis noxiis vel restauratis, qui incisi videbantur, nervis, convaluit, viresque felici progressu tandem sunt confirmatae. Respiciendum hic ad caput, quod proceres s. praesides referunt, membra cives sunt, anima, a qua principium vitae & salutis conservandae venit, Leges nervis, quibus actiones perficiuntur feliciter, numi similes sunt: Sangvinis rationem in civitate commercia habent. Ille enim praecipuum quodpiam in corpore est & medium propagandae vitae, quo omnis agendi vis ad reliquas partes transfunditur: his autem copia rerum ex voto crescit civiumque fortunae & opes amplificantur. Quamdiu sibi bene haec omnia in corpore constant, aeque valere, florere & vigere humana dici potest, atque illa civium vasta compages. Curam omnem adhibemus circa partes incolumes, rectas & decoras, easque tutari, defendere & fovere aeque nobis gratum & salutare est. Perinde hoc requirit iustitiae lex, ut cives boni & probi ab iniuria omni publica autoritate custodiantur, & cum bene merendo de aliorum salute pergunt, ornentur pariter & iustis vitae subsidiis subleventur. Vomicae ubi nascuntur, corporisq; periculum conflant, ubi necessitas efflagitat, vel aperiendae sunt mature, vel ubi salutis haud quicquam superest, reciduntur. Non aliter agendum esse cum perniciosis hominibus svadet publica utilitas, quorum enim mentes sanari, aut emolliri commonefactionibus non possunt, ac, spreta omni honesta disciplina, exemplo aliis nocent, merito hi facessunt, submoventur vi legis, vel aditu ipso rigidissima Iudicis censura prohibentur. Haec & alia dum meditamur animo, quam sapienter soleant imitari artem illam medicam rerum publicarum praesides, facile intelligi potest, quanta similitudine polleat prudens institutum medendi aegris & populum regendi. Quare nunquam dubitavit antiqua pariter & recentior aetas utrumq; subinde munus in unum virum conferre, quem aequali gravitate & sapientia utrique censuit esse parem. Commemorantur non paucorum nomina, quorum virtus utrinque inclaruit medendo agris non minus ac civitati. Vnde ab Homero dictum constat, medicum virum praestare multis, ideo, quod creditum semper fuit, medici industriam vi divina maximopere gubernari. In eam opinionem veteres venisse ea de re, apparet, quod in tanta varietate morborum, ac latentibus tot in corpore vitiis, non humana coniectatione assequendis, divina esse opus virtute putarent, hacquoq; moneri oportere medicum, in tam infinita herbarum, radicum aliorumq; remediorum copia, quid opus esset & quid proficeret, eligere oportuno consilio & adhibere. Neque inter Graecos & Aegyptios, ut quidem ex Herodoto discimus, ulla gens in sancto religionis cultu ac reverentia Diis suis exhibenda religiosior fuit, quam medica, proinde & inter vulgus credebatur, artis huius studiosos a Diis regulas medendi felicitatemque eventuum accepisse. b) Fuerunt autem Aegyptii illi ipsi Sacerdotes, qui medici, neque etiam ex aliis reges quam ex sacerdotum ordine iuxta Strabonem elegerunt. Ac facile putarim divinitatis sensum tam alte insedisse eorum mentibus, quod de vatibus, Numinis veri afflatu plenis audierint, quam magnifice & splendide, cito & iucunde aegris in subsidium venerint, ac non raro



b] Theod. ab Almeloveen §. *I. & III. nov. antiq. med. p.* 10. *Celeberr.* D. Goelicke Medicus Francofortanus *in Histor. medica universali p.* 67.

vel ipſos mortuos revocaverint in vitam. Id quod cum deprehenderint alii, aevo Apoſtolico proximi in Chriſti ſociis per univerſum orbem ablegatis, ſtupentibus ſimiles illorum auxilium intuiti non alia, quam divina virtute eos eſſe adiutos credere potuerunt. c] Hac rei veritate in aemulationem rapti populi, meliore religionis luce deſtituti, pro ſua, qua erant demerſi, ſuperſtitione ſuos medicantes eadem vi polluiſſe, aut certe conſimili cenſuerunt. Quapropter aliarum diſciplinarum originem inveniendiq; ſolertiam hominibus, ſolius autem medicinae Diis legimus aſcripſiſſe. Ea de cauſa quoque artem gratiae plenam vocarunt, quod inſtar Deorum plurimi ſine mercede, ſola humanitate & precibus permoti ferrent opem ſuamque artem maxime pauperibus impenderent, medentes. Inter ſanctos olim multi ſunt relati, quos magni habuit & celebravit priſca aetas, & inter Graecae Eccleſiae ſanctos Cosmas & Damianus illam ob cauſam ab illuſtri viro Carolo Ducangio maximopere referuntur, & ἀνάργυροι appellati. d) Ea dum fuit mens & opinio de medicis, non alia potuit eſſe de iis, qui regendae civitati ſunt praepoſiti, in quibus omne conſilium & virtus recte agendi, resque civitatis ex uſu omnium feliciter adminiſtrandi ab Numine immortali prorſus venire debet. Ex communi & vaga prudentia vix conſulitur aegris, ac ſine doctrina, ſine uſu rerum & obſervatione accurata non tutum & certum medendi genus eſt. Idem deprehendes in illis, qui ſine Legum auctoritate loquntur in civitate, aut ſuo arbitrio, ac vulgi quadam perſvaſione ius pronunciant imperite & adminiſtrant. Ita ſane in magna convertuntur latrocinia pulcherimae ſocietates, dum ingenio contenditur, non iurium & legum ſententiis: ambitione res aguntur, non certo & idoneo vivendi inſtituto, non quod neceſſarium, opportunum & utile, ſed quod iam impraeſens placet, aut irato cuidam & inepto in mentem venit, pertinaciter urgetur. Neque in arte medica temeritas & audacia unquam felices habuit exitus, multo minus in arte regendi, quando, Thucydide iudicante, graviſſimo Scriptore is ſolet utplurimum eſſe audaciſſimus, ut quisque eſt indoctiſſimus, & imperitia alere audaciam & augere videtur. Levis quoque interdum medicantium eſt diſſenſus, qui nec nocere conſvevit eventuum veritati, nec valetudini adverſatur, qua omnes ſuos labores medicus metitur, pugnans e contrario & gravis omnino obeſt, nec finire poteſt aegri dolores, ſed auget convellitque, quae ad incolumitatem curatione coaleſcere quodammodo videbantur & ſanari. e] Hoc pacto ubi de morbi cauſa nimis diſceptatur, aut litigatur de remediorum diverſitate, hic, vel ipſa deliberandi, quae trahitur mora ſaepe aegro perniciosa

c) Conf. B. D. Elias Veil *in Diſſ de praeſtantia & dignitate ſtudii medici ad SS. Patrum mentem* Vlm. 1692.

d) Vid. Gloſſ. graec. voc. *ἀνάργυροι p.* 71 Andr. Tiraquellus *Lib de Nobilitate p:* 162. Theophilus Raynaudus S, I. *in Heroclitis ſpiritalibus p.* 399. Chriſt. Bened. Carpzovii *Diſſ. de Medicis ab Eccl. pro ſanctis habitis Lipſ. p.* 1709: Cl. Fabricii *Bibl. gr. Volum. XII. p:* 739.

e] Borrichius *in Hermete p.* 184. Quis neſcit, ait, Monſpelienſes medicos hodie in medendi quibusdam circumſtantiis ſcil. circa venae ſectionem & alia quaedam a Pariſiis diſſidere, utrique tamen ſic ſatis feliciter medicantur. Sed pugnantes medicorum ſententias exagitat acerbe more ſuo comicus Gallus Molliere. Omnes quidem medicantes bonam habent intentionem, ſed hac perit interdum aeger, male invento medicamine, aut non recte adhibito.

perniciosa est, & perturbat turba medicorum, quicquid integrum quodam modo & incolume erat. Simili modo levis inter gubernantes dissensus acuit mentes & solertiam cogitandi, vimque consilii non adimit sed auget, elicitque praesidia futurae saluti profutura. Alia res est, ubi regnat ambitio & insidiose dominatur, animique aemulatione, quae consiliorum pestis est, & cupiditate altius se efferendi flagrant. Hic virus contagione arrogantium serpit exitiosum, proditque se ubique & exerit, ac motu pernicioso molem, qua sustinetur societatis compages, concutit & conturbat, tandemque summo cum dolore extremam ruinam affert. Porro ut non fraudulenter, sed salutariter medicantes valetudinis curandae regulas explicant, sic & illos decet, qui civitatem adiuvant, non argute nec inique interpretari leges & agendi normam, sed sine versutia & fallendi astutia sanare mentes, ac svadendi auctoritate dirimire controversias, quae lancinant animos & excruciant viresque misere prosternunt. Quinimo & offensos placare comiter ac permulcere diffidentes apto tempore, & asperos quosvis lenire mores, ut & iusta prudentiae lance totius societatis salutem appendere & pensitare in magna ubique ponitur laude. Quodsi etiam felix non respondet semper eventus utut summam medicus adhibeat accurationem, tam parum ipsi tribuendum est, atque gubernatori solerti & cauto, cum fati quaedam incidit malignitas ac cumulus calamitatum non facile dissipandus. Ibi vis morbi eludit remedia, hic temporum iniquitas impedit, quo minus, quantacunq; sit, providentia sufficiat omnis, aut sollicitudo tempestatem depellendi. Quidquod vel ipso interdum vitio aegrotantium accidit, cur parum succedat res in medendo. Id quod ex uno Epirote Philippo Medico satis celebri apud Antigonum Regem cognoscas, is firmiter persvaserat ei, se Regis amicum hydropico morbo conflictatum prorsus sanaturum. Quod, quam sedulo praestare eniteretur, negabat tamen alter medicus fieri posse, non ignorans intemperantiam aegroti & pervicaciam mentis. Excidit spe sua Philippus, morbi conditionem intuitus tantum, nixusque sua scientia & certitudine artis. Spreta enim omni custodia etiam solertissima aegrotus, noxiis multis deglutitis & haustis nequiter, mortem sibi ipsi acceleravit, suaque hoc modo periit, non artificis boni culpa. Simili ratione cum multi in civili societate suo capiti periculum conflant, perniciem corpori, familiis & facultatibus ruinam, non inopes ceteroquin alieni auxilii et tutelae, suo merito intereunt improbi magis quam infelices. Illam igitur, de qua commemoravimus, divinam qui callet artem, salutarem omnino ac vitae humanae tutricem & conservatricem, num is civitatis bono procurando & amplificandis utilitatibus non aptissimus est censendus? Qui divino beneficio corporis pellit mala, invigilat remediis tutandae valetudinis, nonne is & consulendo & agendo assequeretur, quod prosperum, felix & incolumitati civitatis idoneum haberetur? Vnum hic ex antiquitate repetamus Aetium Amidenum, Opsicii Comitem, cuius scientia & virtus ubique explorata est in utroque munere, nec facile iudicari potest, utrum in consulendo & regenda provincia aptior, an felicior in medicando, an in consignandis artis suae regulis accuratior, praesertim cum in omnibus partibus eadem inclaresceret dexteritate. Inferior aetate hic alio est Aetio, patria Syro, itidemque & Medico, sed falsarum de Christo sententiarum

Constantini

Conſtantini M. tempore acerrimo defenſore. f) Illius exſtat praeclarum opus medicum, latino ſermone a Iano Cornario editum. Quod utique multum lucis accepiſſet, ſi per aetatis & vitae rationem illuſtri olim in Germania medendi Principi, G. Wolffgango Wedelio licuiſſet, de integro ſcriptum recognoſcere, atque ex codice manu exarato reſtituere & implere lacunas. Spes enim ipſi erat facta, uti ex ipſius ore B. Viri me audire ante aliquot annos memini, codicis elegantiſſimi potiundi ex Caeſarea Vindobonenſi Bibliotheca, nec ſine ipſius Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli V. voluntate, quam per literas plane clementiſſimam erat teſtatus, & literarum cultura & humanitate illuſtris Gentilottus, tum Bibliothecae Imperatoriae praefectus, haud ita pridem Epiſcopus Tridenti defunctus. Non incommodum erit, hic docere, quod de Xeuxe, Medico Smyrnenſi crediderunt Sponius & Spanheimius, accuratiſſimi alioquin eruditae antiquitatis indagatores. Hi, invento numo, qui caput Xeuxis repraeſentabat, putarunt, eundem & Smyrnae clavo gubernandae reipublicae aſſediſſe, propter ea quod mos ibi inlerit, in honorem Magiſtratus numos tantum adornare. Sed exemit dubitandi ſcrupulum nuper celeberrimus Medicus, Meadius g] ſcite & eleganter demonſtrans, Xeuxem Smyrnae & medicum & ſacerdotem Aeſculapii fuiſſe, eiusq; rei memoriam numo ex veneratione cuſo conſervari. Quod ipſum documento etiam eſſe poteſt, quanto cultu & amore priſca aetas medicos ſit proſecuta. Neque habitus tantum ille honos eſt ipſis viris vivis, ſed & mortuis eorumque ſcriptis & rebus ab ſe relictis. Culpandos ideo opinatur Meadius pariter & Freundius h) alius in Anglia Medicus, novos & recentiores, quod inſultandi quadam levitate & pruritu veterum induſtriae illuderent, novis tantum ſententiis, quae in ſe nihil melius, quam quod eſſent novae, continnerent, nimis avide inhiantes. Haec dum dicimus, ſaepe nos admiramur Hippocratis felicitatem & ingenium, quod ex ſententiis propoſitis apparet. Hae ſolae enim propemodum dentem invidorum & bilem effugiſſe videntur tam firmo veritatis fundamento nixae. Id quod ne iis quidem accidit, qui ſenſibus clara propoſuerunt, uti ex Sexti Empirici auſu contra mathematicos conſtare poteſt. Quamvis etiam apud Romanos, cum nondum feritatem depoſuiſſent, aliquantum ignobiliores eſſent Medici, tamen penſitatis rectius ingenii dotibus, laudem quoque virtuti tribuere didicerunt, ac cum dignitate illos inter ſe vivere ob diviniſſima beneficia voluerunt. Cuiusmodi tales inſignes & meritis & arte ſua olim fuerunt Iulius Baſſus, Sextus Niger, Caius Valgius, Macer & Aurelius Celſus: Archigatus, qui iure Quiritium ſtatim, qnando

f] Multoties hic *Aetius* confunditur a plurimis cum Aetio Opſicii Comite qui vix aetatem Iuſtiniani Imperatoris attingit. Hic θέμαλι ſ. Legioni Οψικίῳ ſ. Aſiae provinciae Comes praefuit. Cui provinciae, cum praeſidii loco imponeretur *Legio obſequii* h. e. militum, qui Imperatorem ordinis tuendi & honoris cauſa praeibant, Aetius ille erat praepoſitus. Ita ex du Cangio & Conſtantini Porphyrogeniti libro *de Thematibus* docet Celeberr. *Fabricius Biblioth. graec. Volum.* IIX. p. 319.

g] In oratione habita in Theatro Regii medicorum Londinenſium Collegii d. XVII. Octobr. A. 1723. edita cum diſſertatione *de numis quibusdam a Smyrnaeis in medicorum honorem cuſis Londini* 1724.

h] Meditatur ille acceſſiones ad Hiſtoriam medicam Clerici, de quibus ob auctoris inſignem his in rebus ſcientiam multum ſibi promittunt eruditi.

quando Romam venit, donatus. Aeſclepiades primum Romae Orator mox Medicus magnam famam eſt adeptus. Aliorum Plinius facit mentionem, qui cum ordine equeſtri occaſionem erant nacti, conſiliorum vim & alacritatem coniungendi. Enim vero Iulius Caeſar omnes medicinam Romae profeſſos donavit civitate, & LX. virorum collegium Aeſculapii & Hygiae conſtitutum publica ſanctione multis dignitatum ornamentis locupletavit. i] Intimioris admiſſionis utplurimum apud Principes ſolent Medici eſſe, ſaepe & arcanorum conſiliorum participes, maxime ubi non ingenii modo vis & praeſtantia artis, ſed & acumen iudicii & agendi conſvetudo ac prudentia ipſos commendat. Qualem Antonium Muſam deprehendimus Imperatori Auguſto fuiſſe, quem ideo uno nomine omnis ſapientiae & praeſtantiae ſummam complexuros Muſam veteres appellaſſe multi cenſuerunt. k] Quo quidem inferior alius eſt aetate, certe non eruditione, meritis & dignatione Antonius Muſa Braſſavolus, qui Ferrariae ſeculo XVI. vixit, Philoſophiae, Medicinae, Iuris utriuſque & S. Theologiae Doctor, qui uti inſcriptio refert, per triduum Pariſiis, Patavii, & in patria cunctis ſtupentibus poſitiones publicas propugnavit. Muſae autem nomen a Franciſco Rege, tantas admirante dotes, ipſi datum eſſe ferunt. l] Nec ſterilior fuit recentior aetas eorum, qui conſiliis iuxta & medendi peritia partim Principum ſalutem et negotia partim civitatis, in qua vixerunt, res pro virili parte tuendas ſuſceperunt. In eorum numero deprehendimus Martinum Pollionem Möllerſtadium, Ioannem Cratonem a Crafftheim, Ioachimum Camerarium, Petrum Monavium, Andr. Veſalium, Conradum Geſnerum, Thomam Linacrum, Harvaeum, Ioannem Naevium, Flaminium Gaſtonem, m) Hermannum Conringium, Velſeros, Bartholinos, Borrichium, Martinum Weiſſium, Schaperum, Stoſſium, alioſque magni nominis innumerabiles alios viros. Novit Pruſia noſtra in eaq; Marieburgum Cnoffelios, Paulizios, & ut proprius res domeſticas attingamus, Thorunium Mochingeros & Duroſchios n) Principum enim curare valetudinem ac bonorum civium, quid aliud eſt, quam totius Regni & civitatis quaerere ſalutem? Quod inſtitutum, tanto magis collaudandum, quanto ampliori conatu & multiplici conſiliorum varietate fieri ſolet. Miraberis fortaſſe, Magnifice Domine, Affinis plurimum venerande apparatum, quem adornavi de Medicis, de quorum virtute, conſilio & aliis, meritis tanto minus quis audet dubitare, quanto magis quotidiana exem-

i) Sponius *in miſcellan. erudit. antiquit.* p. 143. & *ſect. II. art.* 2. Sveton. *in Caeſar. c.* 42.

k] Clericus *dans l' hiſtoire de la medicine* Part. III. c. I, aliter ſentit, eidemque nomen adhaeſiſſe ex Pomponia plebeiia gente Ro. quae in duas familias diviſa, quarum una Muſarum nomine celebris poſtea fuit.

l) Act. Erudit. A. 1706. p. 20. de ſimili ferme ſtupenda ingenii alacritate facilitateq; reſpondendi fundendique carmina per aliquot dies, quam Franciſcus a S. Auguſtino Macedo poſſedit, lege Wagenſeilium *in append. ad Comment.* de urbe Norimberg. Hodie ſuum celebrat Schonemannum Marchia, facilem Poetam ac profluenti facundia verſus loquentem.

m) Horum vitas utplurimum deſcripſit Melchior Adami, reliquorum paſſim alii. De aliis in rem literariam & orbem meritis medicorum index conferatur in Cl. Fabricii *Bibliothec. gr. Volum.* XII.

n] Martinus Mochinger Med. D. PraeConſul, Burggrabius Regius & Iudicii Nobil. Culm. Aſſeſſor. mort 1590. Wenceslaus Duroſchius Med. D, Conſul ſenior mort. 1704.

na exempla id testari possunt. Non me latet tuum ingenium & erectioris animi indoles, ab omni ambitione & conquisitis laudum praeconiis alieni, ut vel ipsi mihi augur sim non vanus tui de me iudicii, quod praesentem conatum culpet, & nescio quid praesumat, vel plane me a more meo, omnem vanitatem alioqui repudiante, putet discessisse. Sed patiar iam lubens, quicquid Tua humanitas & recti tenax institutum dictat, patiaris autem & quaeso, ut praeter morem nostrum indulgeam affectui, imo, qua totus plane perfusus, voluptati, tribuam quid, ore & calamo largius efferendum. quin & cum nuptialis sit gloria & laetis praesidiis fortuna tua fulciatur, meae pietatis sensum & gaudii vim publice audeam profiteri. Multa enim sunt, quae debeo Tuae fidei, benevolentiae & humanitati, plura, ut verius dicam, integerrimo candori. Nunquam abs Te discessisti ab illo tempore, quo in Tuam amicitiam admissus, & svavissimo affinitatis vinculo, quae fuit divina gratia, coniunctus. Nec cum tuo honore, quae laus Tibi propria est, Tua in me voluntas imminuta est, sed confirmatior reddita mutuis utrinque perpetuae coniunctionis documentis. Advocarunt Te Proceres Thorunenses olim ingenti patriae suae commodo ex Principum aula, & valetudinis curandae dexteritatem publice exoptarunt. Quam quoque Tuam ipsis obstrinxisti fidem, multorum commodo servatam, maxime dirae pestilentiae contagio, quis non vidit, praedicat & collaudat? Restabat cumulus dignitatis, tantae virtuti & meritis conveniens, qui evenit feliciter, in ordinem Procerum cooptato, ut patriae utilitatibus pro fide antiqua & eximia rerum civilium scientia invigilares. Quanquam etiam praeter opinionem Tibi accidit, ut Augustissimi Regis gratia ornatus ad clavum sedeas consiliorum, partesque teneas Burggrabii, Numine tamen sic res moderante, evenisse putes, hoc cautius commoda civitatis sanctitate vitae & morum gravitate administraturo. Medica sane manu opus est, sed haud sufficit humana, patriae vulneribus & profundo dolori sanando. Quodsi vero credi fas est, aegris iuxta & civitati medentes divina ope gubernari, non dubitandum, fore, ut Tuo & patrum salutari consilio, virtute & fide res patriae periclitantis & misere devastatae in tuto aliquando collocentur. Tangit me religio mentis, quare haec optem enixissime, & votis omnibus ab indulgentissimo Numine die nocteque demissa veneratione pergam precari. Interest reipublicae, quo salvus Tu & incolumis vivas, ac nunc quoque, ascita in consortium vitae & thalami svavissima coniuge, Virgine pietatis & virtutum laude undiquaque conspicua, quae domi rem administret, & curarum taedia, quae incidunt hoc turbulento tempore, aliasque aevi molestias leniat aliquantum & sua morum svavitate abstergat. Discederem a fide mea & parum aequus in tuum essem amorem cuius memoria alte animo meo infixus, nisi quotidie omnia bona corporis & animi Tibi, Domine, & Coniugi amantissimae ab immortali Numine exoranda putarem. Quare nihil superest, quam ut faustissimis ominibus & votis, quae ad vestram pertinent felicitatem faveat Deus, & gaudii vestri usuram nec casus adimat inexpectatus, aut tristioris temporis intervalla svavitates vitae perturbent. Bene igitur Tibi sponso, reique publice vertat, laetissimo eventu omnium constent preces, ut vivas diu cum Tua CONSTANTIA, seriemque generis Tui una cum Tua virtute propages, tum & cumulatissimis fortunae & dignitatis incrementis ac perpetua prosperitate floreas CONSTANTER. Vale!

113389